

2679. XIII, 9-1 — Excomunhão lançada contra os impedientes e contraditórios de que o conde de Bolonha fosse eleito rei. 1210 (?), Fevereiro, 10. — *Pergaminho. Bom estado.*

*In permissione divina archiepiscopus Bracarensis et .D. eadem electus Colim briensis religiosis viris et in Christo dilectis de Gardia et de Coviliiana Ordinis Fratrum Minorum Guardianis eorumque conventibus suis Dei fidelibus salutem et presentis vite cursum in confessione Christi pro justicia consumare.*

*Cum nobiles viri dominus Didacus Lupi dominus R. Gomecii de Gallegia dominus Ramirus Froile et dominus Rodericus Froile et dominus Fernandus Johannis de Limia ad impediendum provisionem apostolicam cum domno A. regis Castelle et Legionis primogenito regnum Portugalie sicut acceperimus sint ingressi nos qui provisionis eiusdem executores sumus a sumo Pontifice deputati devotioni vestre in virtute obediencie precipiendo mandamus quatinus per vos vel per aliquos fratres vestros ad ipsos vel ad locum ubi ipsi in regno isto fuerint accedentes ex parte domini Pape et nostra monere curetis eosdem et vassallos et auxiliatores eorum ut ab hujusmodi domini comitis Bolonie et provisionis de ipso facte regi et regno Portugalie et populis in eo degentibus impedimento se et suos procurent cohibere admonitionem ipsam coram ipsis et aliis qui affuerit vel si eorum copiam habere forte non potueritis in locis ubi fuerint ut dictum est publicare curetis. Quod si a vobis comoniti resipiscere noluerint presertim cum nos per regnum Castelle et Legionis in multis civitatibus coram populo universo provisionem apostolicam publicantes admonitiones etiam publice contra tales et generaliter proposuerimus ipsos auctoritate nostra in Gardia et in locis aliis ubi vobis ire licuerit excommunicatos publice nuncietis.*

*Preterea dominum Fernandum Johanis et dominum Rodericum Froile prefatos qui olim diocesis Bracarensis hostiliter percurrentes propter violationes ecclesiarum et rapinas bonorum ecclesiasticorum domni legati et predecessoris nostri archiepiscopi Bracarensis sententias incurserunt et postmodum prestito juramento vicarialis Bracarensis quod super his pro quibus excommunicati erant mandatis parerent ecclesie et lesia satisfacerent de comissis ad magnam ipsorum et domini Compostellani instantiam ab eisdem vicarialis beneficio absolutionis obtento satisfacere neglexerunt.*

*Nos justitia exigente ipsos in pristinam excommunicationis sententiam reducimus mandantes vobis quatinus ipsos ex hac etiam causa specialiter denuncientis excommunicationis sententia innodatos mandamus etiam vobis sub prescripti tenori precepti quatinus litteras istas quas mittimus infanti domno A. faciat el legi vel ubi ipse fuerit per aliquos ex vobis qui ipsum ex parte nostra diligenter moneant et inducant ad ea que in ipsis*

litteris continentur qui eciam easdem litteras perfectas retineant in testimonium facte admonitionis et consuerent easdem prout in fine eiusdem littere continetur.

*Datum apud Leirenam iiiij Idus Februarii.*

(A. E.)